DE VITRUVII SERMONE.

DE FORMIS ENUNTIATORUM TEMPORALIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA
BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
CAPESSENDOS

DIE XIV. M. AUGUSTI MDCCCLXXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS STOCK
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
R. HANNIG, CAND. PHIL.
P. HEUCKE, CAND. PHIL.
P. STEFANIAK, CAND. PHIL.

BEROLINI, 1888.
TYPIS EXPRESSIT JULIUS BAHLKE.

GUERNERO DE SIEMENS

PIETATIS TESTIMONIUM.

Sicut fit ut coloni, quibus sunt multi agri plane et late patentes, nihil curent uno de agro propter vepres ac fruticeta impeditissimo, ita ei qui res grammaticas tractaverunt, decem libros quos composuit Vitruvius de architectura, usque ad huius decennii initium neglexerunt. — Ut vero nonnumquam fit, ut qui vepribus illis non perterritus agrum aratro subvertat, patefaciat solum opimum et fertilissimum, ita Hermannus Nohl et Johannes Praun, viri doctissimi, qui nuper in Vitruvii sermonem diligentissime inquisiverunt, multa intellectu dignissima enucleaverunt multaque ad totum sermonem Latinum pernoscendum contulerunt.

Nohlius indice Vitruviano confecto [Lipsiae 1867] effecit, ut nunc habeamus viam multo expeditiorem, idem scripsit analecta Vitruviana,[1]) quibus agitur maxime de usu nominum substantivorum. Tum Praunus composuit: Bemerkungen zur Syntax des Vitruv mit eingehender Darstellung der Substantivsätze (Bamberg 1885). Quos libros saepius laudabo procedente hac dissertatione, quae erit de sententiis temporalibus.

Sed priusquam ad eas exponendas aggrediamur, in universum pauca de Vitruvii sermone disserere liceat.

Vitruvium saepe et longe discedere ab eo loquendi usu, quem ceteri eiusdem aetatis scriptores exhibent, ex eo uno intelligitur, quod fuerunt, qui eos, quos nunc nos habemus, Vitruvii libros saeculo quarto vel decimo vel tertio decimo tribuere non dubitarent. Illos quidem tota via errasse inter omnes constat, non item de vera ratione cognoscendi sermonis Vitruviani singularis quidem, sed tamen Augusti tempori apti disserere supervacaneum est.

Videamus ea, quae ipse Vitruvius dixit de hac re. In praefatione libro quinto auteposita exponit, quae sint historicis et poetis adiumento

---

[1]) Wissenschaftliche Beilage z. Progr. d. Berlinisch. Gymn. z. gr. Kl. Berlin, 1882.

in conciliandis lectorum animis, quae obstent architecto de arte sua disserenti: 103,7[1]) Non enim de architectura sic scribitur uti historia aut poemata. historiae per se tenent lectores, habent enim novarum rerum varias expectationes, poematorum vero metra et pedes ac verborum elegans dispositio et sententiarum inter personas distinctas ad versum pronuntiatio prolectando sensus legentium perducit sine offenso ad summam scriptorum terminationem. id autem in architecturae conscriptionibus non potest fieri, quod vocabula ex artis propria necessitate concepta inconsueto sermone obiciunt sensibus obscuritatem. — Architecto esse rem multo difficiliorem ad explanandam nemo est, quin concedat. Neque vero omnia, quae in Vitruvii libris minus eleganter aut minus dilucide dicta inveniuntur, ad ipsius rei iniquitatem referri possunt: ipse enim Vitruvius minime fuit in litteris perfectus. Id eum perbene sensisse ac novisse his ex verbis cognosci potest: 11,1 peto, Caesar, et a te et ab is qui ea volumina sunt lecturi, ut si quid parum ad regulam artis grammaticae fuerit explicatum ignoscatur, namque non uti summus philosophus nec rhetor disertus nec grammaticus summis rationibus artis exercitatus sed ut architectus his litteris imbutus haec nisus sum scribere.

Iisdem e verbis intelligi potest, quarum rerum ratio nobis habenda sit in Vitruviano sermone iuste et recte iudicando. Iniquum est Vitruvii libros ex aliorum eius temporis scriptorum libris iudicare. Ei enim cum libros composuerunt, viros litteratos se professi sunt. Vitruvius, architecturam professus, artis percepta explicavit. Non ille quidem liberalium artium plane expers fuit — multa enim legisse eum et de omni fere doctrinarum genere nonnihil scivisse, e praefationibus rebus maxime variis refertis intelligitur. — Sed cum esset et muneris officio impeditus et indole ad dicendum et scribendum haud ita praeclara praeditus, longe abfuit a summa illa elegantia ingeniorum doctrina excultorum propria.

Quae cum meminerimus, non mirabimur, quod Vitruvius saepe discedit ab usu loquendi, quem apud ceteros scriptores invenimus. Inde fluxerunt omnia, quae a viris doctis vituperantur, inaequalitas maxime dictionis, quae cernitur et in descriptione modo latissima modo exilissima et in singularum sententiarum membris paribus persaepe dissimilem in modum formatis.

---

[1]) Locos e Vitruvii libris laudatos secundum editionem Valentini Rose et Hermanni Mueller. — Struebing (Lips. 1867.) attuli, Nohlium et Praunum *secutus*. Numeri paginas et versus significant.

Eandem ob causam non mirabimur, quod in Vitruvii libris multa deprehenduntur de sermone vulgari sumpta. Neque enim ut homo in dicendo elegantissimus libros composuit, sed ut architectus eo usus sermone, quem usu cotidiano et consuetudine constitutum habebat.

Tertia huc referenda est proprietas sermonis Vitruviani. Vitruvius cum esset architectus, facere non potuit, quin studio se daret exemplorum Graecorum, cum non solum architecturae usus in Graecorum praeceptis esset positus, 'sed etiam de omnibus architecturae partibus, quas Vitruvius ei arti tribuendas esse censuit (cf. p. 15 ss.), libri a Graecis compositi abundarent. Quibus e fontibus Vitruvium plurima hausisse, et ipse dixit et ex usu loquendi saepe cognosci potest. Quae res uberius tractanda est inferiore loco; hoc loco dispositionem institutam persequens satis habeo haec dicere: Non mirabimur, quod Vitruvius in dicendo saepe Graecorum consuetudini obsecutus est, praesertim cum meminerimus ex eo tempore vulgo factum esse, ut scriptores Latini sermonis castitatem atque integritatem a Graecorum consuetudine minus constanter defenderent.

Iis rationibus propositis Vitruviani sermonis cognoscendi aggrediamur ad enuntiata temporalia, de quibus quam accuratissime disserere nobis est propositum. Ac primum de coniunctione:

cum

dicendum est, cuius coniunctionis usus cum apud omnes scriptores, tum in Vitruvii libris longe latissime patet. Sed ut de ingenti exemplorum copia disposite dicatur, ordine sumpto de temporibus a cum suspensis primum agere liceat de praesente et perfecto logico indicativi, tum de futuris, tum de praesente et perfecto coniunctivi, deinde de imperfecto, perfecto historico, plusquamperfecto indicativi, denique de imperfecto et plusquamperfecto coniunctivi. Quae temporum dispositio quibus ex cogitationibus profecta sit, procedente disputatione elucebit.

Sed priusquam ad singula accedamus, in universum agamus de enuntiatis ita coniunctis, ut a cum coniunctione indicativi vel praeseus vel perfectum logicum vel futurum primum vel alterum sit suspensum. Omnia enim eiusmodi exempla significationis cognatione inter se continentur iisque in librorum partibus inveniuntur, ubi de rebus, quae ad architecturam pertinent, praecepta dantur aut sententiae ex artis usu communi profectae pronuntiantur. Sed accuratius inquiramus, quid illo dictorum genere significetur, quae nos quidem particula (jedesmal) wenn coniungere solemus.

Enuntiatis mere temporalibus describitur et explicatur aut temporis spatium, per quod actio primaria ad effectum perducitur, aut id temporis momentum, quo actio illa evenit. Eo vero, de quo agimus, temporalis structurae genere non temporum solum ratio statuitur, sed ipsarum actionum rationi vis tribuitur ita ut intelligendum sit, cum hoc sit vel fuerit, illud futurum esse aut semper esse. Cum igitur actiones primaria et secundaria inter se respondeant ita ut alterum antecedens necessario et constanter sequatur alterum consequens, ad illa enuntiata a cum supensa et proprie temporalia accedit notio condicionalis, ita ut insint et temporis et condicionis notiones permixtae. Nostro sermone coniunctio proprie condicionalis: wenn, usus finibus propagatis, alteram coniunctionem: wann eo ex usu, de quo agimus, plane expulit. Contra Latinorum coniunctio proprie temporalis: cum latius patet et ad ea pertinet enuntiata, in quibus nos quidem vix quicquam temporalis notionis percipere possumus. — Exemplum unum e multis afferre liceat: 268,14 namque quemadmodum vectis cum est longitudine pedum V, quod onus III hominibus extollit, id cum est X duobus elevat, eodem modo cet. —

Itaque ab enuntiatis a cum suspensis haud ita multum deflexa sunt ea, quae coniunctionem si in fronte gerunt. Neque enim est inter utriusque generis exempla discrimen nisi quod scriptoris animo in his magis notio condicionalis, in illis magis temporalis obversata est. Neque mirabimur, quod Vitruvius, quem dictionis ‚paritatem' et aequabilitatem minime constanter observasse iam diximus, coniunctiones si et cum saepe ita composuit, ut altera alteri respondens subsequatur, velut:

141,21 Tablino, si latitudo atrii erit pedum viginti, dempta tertia eius spatio, reliquum tribuatur. si erit ab pedibus XXX ad XL, ex atrii latitudine tablino dimidium tribuatur. cum autem ab XL ad LX, latitudo dividatur in partes quinque, ex his duae tablino constituantur.

206,14 hoc autem sive plana est aqua seu sphaeroides, necesse est, ad extrema capita dextra ac sinistra cum librata regula erit pariter sustinere regulam aquam, sin autem proclinata erit ex una parte, qua erit altior non habere regulae canalem in summis labris aquam.

Praeterea conferas:

12,27 — cum 13,14 — cum 13,22 — si.
108,9 si 108,10 cum autem.
242,10 cum 11 si 13 cum vero.
254,11 si 12 cum autem.
256,17 cum autem 24 sin autem.

His in universum de natura dictorum temporalium praemissis nunc agamus de singulis temporibus a cum suspensis. Neque vero cum inter enuntiata a cum et si suspensa esse similitudinem et affinitatem appareat, facere poterimus, quin ex his quoque, cum opus fuerit, exempla afferamus, quae cum illis comparentur.

Ac primum agatur de eis sententiis, in quibus praesens indicativi utrobique positum est.

Exemplum sit: 23,21 in qua civitate auster cum flat, homines aegrotant cum corus, tussiunt e. q. s.

Quod praesens dictum de eo, quod fieri solet, non est tempus certum et definitum, sed generale et aoristum omniaque complectitur, quae quolibet tempore accidunt vel accidere possunt. Enuntiatis ita ut modo dixi inter se coniunctis significatur, utramque actionem in idem cadere tempus. Quam ad temporum congruentiam nihil interest, utrum aut actiones momentaneae aut rerum status inter se referantur an actio aliqua cum statu comparetur: modo brevius temporis spatium longiore comprehendatur. Sed multa sunt exempla, quae fines eius praecepti transeant. Praesens enim ibi quoque saepe deprehenditur, ubi enuntiati secundarii actio est momentanea, enuntiati primarii verbo spatium temporis infinitum notatur, cuius status initium fieri non potest nisi absoluta iam actione secundaria. Tali autem in enuntiatorum et temporum ratione si scriptores actionem secundariam ponunt in praesente tempore, admittunt negligentiam quandam dicendi, quae ut apud nos est usitatissima, ita abhorret a Latinorum usu, quo utriusque enuntiati tempora subtilissime inter se perpenduntur et determinantur. Sed de iis exemplis, in quibus praesens perfecti logici munere fungitur, tum accuratius disseram, cum de perfecti logici usu agendum erit.

Ab eo, do quo agimus, genere dictorum leviter deflexa sunt, quorum enuntiato secundario posteriore loco posito ‚vocabula ex artis propria necessitate concepta' explicantur.

Pernota est illa constanter observata dictionis forma, quae saepissime occurrit in libris, quos Cicero de philosophia et rhetorica composuit. Eiusmodi exempla octies subinde posita leguntur: de inv. I. 11. 15: concessio est, cum reus non id, quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur postulat e. q. s.

Cum iis conferas haec Vitruvii:

244,5 tractorium vero (est) cum onera machinis pertrahuntur, ut ad altitudinem *sublata* conlocentur.

Similiter dicta sunt: 47,27 pseudisodomum (dicitur) cum inpares et inaequales ordines coriorum diriguntur.

Denique commemorare liceat nonnullos locos, ubi quam in sententiam coniunctio cum accipienda sit valde dubitari potest.

39,16 natare autem eos (sc. lateres) posse ideo videtur quod terra est de qua ducuntur pumicosa. ita cum est levis, aere solidata non recipit in se nec combibit liquorem.

Vitruvius ibi exponit, quae sint virtutes terrae pumicosae. Altera est: terra est levis; altera: aere solidata non recipit liquorem. Itaque fit, ut lateres ex ea ducti natent in aquam proiecti. — Eo igitur in exemplo, quod supra posui, enuntiatum secundarium primario minime arte subiunctum est coniunctione cum, sed laxe sunt composita: si formam respicis, per ‚subiunctionem', si sensum ac vim spectas, per ‚coordinationem'. Vertendum est me iudice:

Während sie so einerseits leicht ist, nimmt sie (andererseits) an der Luft gehärtet keine Feuchtigkeit in sich auf. Certe ille coniunctionis cum usus aliquantum habet negligentiae — quae haud scio an vulgaris sermonis licentiae tribuenda sit.

Neque dissimilis est hic locus:

132,18 omnia enim munera fortunae cum dantur ab ea faciliter adimuntur, disciplinae vero coniunctae cum animis nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae.

Quae verba Reber [1]) convertit: Denn da alle anderen Gaben von dem Schicksal gegeben werden, werden sie auch sehr leicht wieder von ihm genommen. Neque vero puto illa conversione structurae difficultatem tolli neque accurate reddi, quae Vitruvius dicere voluerit. Hunc quoque locum ita convertendum esse censeo, ut enuntiati membra ipsarum sententiarum quodam responsu contineri appareat: Denn alle Gaben des Glücks werden, während (s. wie) sie einerseits leicht von ihm gegeben werden, ebenso wieder von ihm genommen.

Adverbium faciliter inter verba, dantur et adimuntur positum utrique enuntiato me iudice commune est. Neque enim verbis cum dantur ab ea, si per se posita esse putaremus, quicquam novi inesset — sunt enim in sententiae capite verba: munera fortunae.

Sed fortasse alia interpretandi via patet. Si enim quis suspicetur — id quod per sensum fieri potest — enuntiata contineri vi adversativa

[1]) Des Vitruvius zehn Bücher über Architektur, übersetzt von Dr. Franz Reber. Stuttg. 1865. (p. 168).

vel concessiva, Vitruvium pro coniunctivo, qui in eiusmodi enuntiatis usurpari soleat, indicativum negligentius posuisse statuemus. Quem indicativi usum a sermone Vitruviano non abhorrere hoc ex exemplo cognosci potest: 192, 25 hi (sc. fontes) autem cum sunt frigidi, ideo videntur aspectu fervere e. q. s. Ibi cum sensum totumque sententiarum contextum respicimus, facere non possumus, quin coniunctionem cum accipiamus in significationem: während aut, ut vult Reber (p. 236), obwohl.

Venimus iam ad eas sententias, in quibus praesens tempus enuntiati primarii compositum est cum perfecto enuntiati secundarii. Tempora, quae utriusque enuntiati actionibus comprehenduntur, si formam tantum spectas, discrepant, re vera inter se congruunt. Perfectum enim est logicum, quo non modo significatur, actionem secundariam ante primariam esse absolutam, sed ex absoluta illa actione statum aliquem et effectum esse profectum, qui durans in praesenti permaneat.

In exemplis, quae sunt in Vitruvii libris perfecti activi generis, ubique tribus locis exceptis verba inveniuntur, quibus inest notio movendi eundi incidendi rell.[1]) Item positum est 281, 26 cum coeperunt. Praeterea leguntur:

28, 1 qui (sc. flatus) cum exorto sole permanserunt, euri venti tenent partes.

242, 10 absoluto autem (sc. opere), cum ad dictum respondit, decretis et honoribus ornatur (sc. architectus).

Nobis quidem qui omnibus eiusmodi locis praesente parum accurate uti solemus, duo, quos ultimos posui, loci ideo sunt difficiliores, quod ipsis in verbis permanendi et respondendi non momentanea actio, sed status permanens continetur. — Perfecti logici natura nobis magis perspicua est eis in exemplis, quae formas passivi generis exhibent. In exemplo — quod unum de plurimis[2]) ponere hic liceat —: 39,15 — lateres cum sunt ducti et arefacti, proiecti natant in aqua, nos quoque facillime persentimus, participiis perfecti: ducti et arefacti statum ex absoluta actione profectum significari, verbo sunt, eum statum permanere.

Sed hoc loco ad praesentis usum reverti nos oportet.

Hoffmannus in libri, cui inscriptum est: Die Construction der lateinischen Zeitpartikeln (Wien 1873) pag. 76 s. egregie exposuit, quae

---

[1]) Cfr. 117, 11. 192, 26. 193, 23. 194, 9. 196, 25. 200, 7. 221, 18. 226, 6, 8, 22. 227, 1, 2.

[2]) Cfr. 38, 17. 44, 37. 53, 14. 54, 22. 58, 22. 67, 10, 12. 104, 6. 121, 1 rell.

sit vis ac ratio dictorum, in quibus praesens cum perfecto logico est compositum: „Mit dem Vollendetsein der im relativen Gliede gegebenen Handlung tritt die Handlung des demonstrativen Gliedes ein. Da also die Vollendung der einen Handlung die temporale Bedingung für das Eintreten der anderen ist, so begreift sich, dass dies die Zeitgebung für Handlungen sein muss, die sich ihrer Natur nach zu einander wie das stetige temporale Antecedens zu seinem stetigen temporalen Consequens verhalten". In adnotatione autem iis verbis supposita dicit vir ille doctus: „Beide Glieder können natürlich auch im Präsens gegeben sein".

Quibus e praeceptis breviter dictis nec discimus, quae sit utriusque usus ratio, neque fieri non potest, ut qui levius illa verba inspiciat, opinetur usum inter praesens et perfectum fluctuantem plane in scriptorum arbitrio positum esse. Diligentius igitur in ea inquiramus.

Ex exemplis, quae permulta attulit Hoffmannus l. l. eligere hoc mihi liceat:

Cic. p. Sall. 16, 47. Quod si esses usu atque aetate robustior, essem idem qui soleo cum sum lacessitus.

Si quis eandem rem exprimere velit praesente tempore bis posito, certe una cum tempore ipsius verbi natura mutanda est. Ut enim temporum congruentia efficiatur — quae verbo ipso immutato non esset — verbum eligi oportet, quo status ille significatur, qui ab absoluta actione lacessendi nascitur. In eo igitur, quod supra posui, exemplo pro cum sum lacessitus ponere licet non cum lacessor, sed hoc fere: cum succenseo vel: cum indignor.

Illud quidem praesens tempus actionis alicuius pro perfecto positum saepe inveniri, negari non potest. Sed statuendum est, eo usu leges logicas negligi, quas Latini multo diligentius multoque subtilius observare solent quam nostri homines. Scriptores igitur ubi praesens ita positum exhibent, negligentiam quandam sermonis admittunt, sive quod consilio illud praesens adhibent sibi indulgentes sive quia sunt deterioris Latinitatis.

Ut vero auctores Latinitatis aureae quae vocatur, cum diligentissime utriusque temporis condicionem respicerent, actionis secundariae absolutionem constanter perfecto tempore notaverunt, scriptores aetate inferiores non item id observaverunt. Non ille quidem praesentis usus quomodo increverit, uno aspectu cognosci potest — neque enim viri docti ei rei operam dederunt ita ut omnes scriptores inspexerint: sed

notum est iam apud Livium praesens pro perfecto positum saepius inveniri[1]).

In Vitruvii libris ille praesentis usus late patet. Ut vero est sermo Vitruvianus inconstans et inaequabilis, ita saepe inter praesens et perfectum fluctuat oratio. Exempla hic pono praesentis et perfecti haec, quae in libris sunt iuxta composita.

226, 27 e tauro cum ingreditur (sol) in geminos exorientibus vergiliis magis crescit supra terram et auget spatia dierum.

227, 23 ab aquario cum ingressus est in pisces favonio flante scorpionis comparat aequalem cursum.

227, 1 deinde e geminis cum iniit ad cancrum . . . . . perficit solstitiale tempus.

227, 16 e scorpione cum percurrendo init in sagittarium ad femina eius, contractiorem diurnum pervolat cursum. cum autem incipit — percurrit.

254, 13 vela cum sunt per medium temperata, minorem habent virtutem.

255, 4 eadem ratione iumenta cum iuga eorum subiugiis loris per medium temperantur, aequaliter trahunt onera.

Sed redeamus ad perfecti usum. Restat enim, ut dicam de significationis discrimine, quod inter singula exempla, quae perfectum passivi a cum suspensum exhibent, intercedere videmus. Ut enim longe plurimis locis perfectum statum indicat actione aliqua effectum — velut 168, 10 colores autem udo tectorio cum diligenter sunt inducti, ideo non remittunt quod — ita nonnulla sunt exempla, in quibus participium perfecti omni praeteritae actionis notione amissa plane adiectivi, verbum auxiliare copulae munere fungitur ita ut perfecto significetur aliquid simul cum praesente enuntiati primarii idem per temporis spatium permanens. Exempla sunt:

193, 15 — ad eundem modum ea capita fontium cum sunt angustiis compressa, ruunt in summo spiritus aquae bullitus.

244, 4 at spirabile (sc. est genus), cum spiritus est expressionibus inpulsus ut plagae vocesque ὀργανικῶς exprimantur[2]).

Latius patere apud Vitruvium illum usum perfecti pro praesente positi, ostendit Praunus l. l. pag. 22 s. et pag. 50 neque virum illum sermonis Vitruviani peritissimum effugit, in Vitruvii libris saepe inveniri usum illum verbi auxiliaris cum participio perfecti passivi compositi, quem e sermone vulgari in linguarum noviciarum consuetudinem abiisse constat.

---

[1]) Cfr. Madvig. in adn. ad Cic. de fin. V. 14. 41.

[2]) Si quidem Rose rectum assecutus est.

Transeamus nunc ad ea enuntiata, in quibus futura cum futuris sunt composita, et primum agatur de futuro primo utrobique posito.

Exempla pono haec: 53, 1 Quoniam ergo explicata ratio est, quid ita in urbe propter necessitatem angustiarum non patiuntur esse latericios parietes, cum extra urbem opus erit his uti, sine vitiis ad vetustatem sic erit faciendum.

154, 15 cum magnificenter opus perfectum aspicietur, a domini potestate inpensae laudabuntur, cum subtiliter, officinatoris probabitur exactio [1]).

Item futurum occurrit, ubi res definiuntur et describuntur: 69, 2 in antis erit aedis, cum habebit in fronte antas parietum qui cellam circumcludunt.

Apparet — id quod magis elucebit — in Vitruvii sermone magnam esse similitudinem et affinitatem inter praesentis et futuri significationem. Et praesente et futuro bis posito non designatur res certa ac definita, sed significatur, quolibet momento temporis infiniti praesentis aut temporis indefiniti futuri fieri vel esse alterum, cum alterum fiat vel sit.

Ut vero sermoni Vitruviano non est perpolitae orationis aequabilitas, ita praesentis et futuri aoristi usu saepe confunduntur et utrumque tempus eodem in enuntiato positum invenitur.

Futurum quod est in apodosi compositum est cum praesente enuntiati secundarii:

Ubi aedium species describuntur, haec leguntur 71, 10: diastyli autem haec erit compositio, cum trium columnarum crassitudinem intercolumnio interponere possumus. Sed conferas, quae praecedunt: 70, 20 item systylos est, in qua duarum columnarum crassitudo in intercolumnio poterit conlocari. et ib. 16: pycnostylos est cuius intercolumnio unius et dimidiatae columnae crassitudo interponi potest.

Praeterea huc referenda sunt:

177, 15: ita autem cum sint quattuor sextariorum mensurae, cum expenduntur invenientur esse pondo centum. (Cfr. 42, 1 — cum expenduntur, inveniuntur.)

262, 15 in quibus (sc. naribus) asses sunt ex torno subacti et ibi conlocati, qui cum recipit arcula animam, spiritum non patientur obturantes foramina rursus redire.

257, 2 ita versatio rotae catenam in axem involvendo efferet situlos in summum, qui cum super axem pervehuntur, cogentur inverti et infundere in castellum aquae quod extulerint. — Cum illud quidem coniecturae Jocundi debetur, sed sensu requiritur. Quod vero locum, unde coniunctio exciderit, attinet, haud scio an aptius post verba super axem inseratur et

---

[1]) Praeterea cfr. 14, 22. 16, 3. 29, 17. 165, 25. 166, 3. 167, 24. 185, 21. 208, 8. 241, 5. 256, 17, 21. 264, 16.

propter litterarum similitudinem et quod Vitruvius persaepe membrum aliquod toti enuntiato anteponit velut 116, 12. 123, 24. 137, 15.

209, 25 item cum primo aqua a capite inmittitur, ante favilla inmittetur. Quae est constructio negligentior pro elegantiore, quae efficitur coniunctione antequam: Item antequam primo aqua a capite inmittetur, favilla inmittetur (s. inmittitur).

Breviter adnoto, huc non pertinere exempla, in quibus praesens habet futurum sequens ita ut significetur, illud iam esse, hoc vero futurum esse sperari. Velut 135, 25: igitur cum id habemus certum animo sustinentes, ab labro quod est in regione septentrionali, linea traiecta ad id quod . . . . , sine dubitatione animadvertemus —.

Latinos praesens enuntiati secundarii futuro tempori primarii rarissime sociasse, ex exemplis intelligitur, quae paucissima attulerunt Hoffmannus l. l. p. 66 et Draegerus in synt. lat. II. p. 552 s. In iis autem exemplis esse non tam negligentiorem orationem quam concitatiorem, cuilibet conspicuum esse oportet. Unum inde sumere liceat exemplum: Cic. in Verr. 69, 177: at quo tempore futurum est [de te, Q. Hortensi, iudicium]? nempe eo, cum populus Romanus aliud genus hominum . . . . requirit.

Nec frequentia sunt enuntiata, in quorum apodosi praesens, in protasi futurum extat.

Exempla, in quibus cum habet vim explicativam, inveni haec in rhetor. ad Her. IV. 19. 26: articulus dicitur, cum singula verba intervallis distinguentur caesa oratione, hoc modo. — Item 38, 50.

Similiter apud Vitruvium positum est futurum in enuntiato explicativo:

12, 27 Statione (decor perficitur), cum Iovi Fulguri et Caelo et Soli et Lunae aedificia sub diu hypaethra constituentur.

Sed videas, quaeso, quemadmodum variaverit Vitruvius dictorum formas. Conferas quae sequuntur:

13, 13 ad consuetudinem autem decor sic exprimitur, cum . . vestibula . . erunt facta.

ib. 22 naturalis autem decor sic erit, si . . . eligentur.

14, 5 item naturae decor erit, si . . . lumina capiuntur.

Sed subsistere liceat in explicanda ratione, quae sit inter praesentis et futuri usum. Uberius ea res tractabitur, cum de futuri exacti usu disseretur. Hoc enim de tempore ideo separatim agendum esse censeo, quod et de ipsis temporis formis, quibus Vitruvius usus est, dici oportet et quod futuri exacti usus, qui in Vitruvii libris latissime patet, summas affert ad recte iudicandum difficultates.

Disputatio, quae nunc erit de forma, ad eas videlicet pertinet formas, quae sunt passivi generis. Vitruvius enim longe plurimis locis usus est formis futuri exacti fuerit fuerint cum participiis perfecti passivi coniunctis. Neque vero, cum mihi sit propositum explicare usum dicendi, qui sit in enuntiatis temporalibus, facere possum, ut solis de futuri exacti formis disseram, nam et perfecti et plusquamperfecti formae pleniores haud ita raro in Vitruvii libris occurrunt et per se positae et a cum coniunctione suspensae.

Contendit Madvigius in disputatione, qua probavit: discrimen formarum amatus sum et amatus fui a veteribus et bonis scriptoribus constantissime servatum[1]) esse, illas perfecti formas a bonis scriptoribus non usurpari nisi ita, ut iis significetur: ‚praeteritum tempus rei effectae et in statu aliquo manentis, ut participio status, verbo eum fuisse declaretur‘.

Quae formarum vis cum in omnibus exemplis, quae Madvigius e Ciceronis et Livii libris attulit, tum in hoc apertissima est:

Liv. XXXVIII. 56, 3: Nam et Literni monumentum monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate deiectam nuper vidimus ipsi.

Forma superimposita fuit significari apparet, eam statuam aliquamdiu superimpositam mansisse, tum deiectam esse. Illud autem Madvigii praeceptum ne illa quidem exempla omnia complecti, quae in Livii et Ciceronis libris inveniantur, recte cognovit Kuehnastus. Qui vir doctissimus in egregio illo libro, cui inscripsit: „die Hauptpunkte der Livianischen Syntax (Berlin, 1872)“ illas de quibus agimus formas tum usurpari docuit, „wenn nicht sowohl auf die Vollendung der Handlung, als überwiegend auf das Resultat derselben, auf die Entwickelung des Zustandes, der sich aus ihr ergiebt, gerücksichtigt wird, und (bei Pass. sowohl als bei Depon.), mag dieser Zustand die Fortdauer der Handlung involviren, oder dieselbe später aufgehört haben“.

Mihi quidem duplex illa formarum significatio tum facillime intelligi posse videtur, cum meminerimus, ipsi perfecto fuit ex universa perfecti natura duplicem inesse vim. Nam aut est perfectum logicum, ut fuit significet aliquid nunc non esse, velut illud superimposita fuit i. e. „sie stand früher darauf, jetzt nicht mehr“. Aut est perfectum historicum, quo in tempore et actiones et status rerum ponuntur, qui ad alias eiusdem praeteriti temporis actiones referantur. Itaque perfectum: instructi fuerunt (Liv. X. 19. 14) — quod exemplum elegi ex eis, quae Kuehnastus

[1]) In opusc. acad. vol. II. pag. 219.

attulit l. l. p. 205 — significat: „sie standen (damals) geordnet[1]). Ut vero constat illis, de quibus agimus, formis significari statum et qui tum desierit et qui valuerit, ita tenendum est, nusquam iis nisi apud deterioris Latinitatis scriptores inesse vim simplicis actionis absolutae *ita ut* ‚proeliatum fuit' positum sit pro ‚proeliatum est'[2]).

Sed exempla, quae sunt in Vitruvii libris, examinemus. Leguntur fuit fuerunt perfecta verbi auxiliaris coniuncta cum participiis deponentium:

2, 26 qui (sc. architecti) autem ratiocinationibus et litteris solis confisi fuerunt, umbram non rem persecuti videntur.

104, 1 Etiamque Pythagorae quique eius haeresim fuerunt secuti placuit —.

passivorum:

3, 3 at qui utrumque perdidicerunt, uti omnibus armis ornati citius cum auctoritate quod fuit propositum sunt adsecuti.

63, 18 . . . nullam memoriam sunt adsecuti, quod hi non ab industria neque artis sollertia sed a felicitate fuerunt deserti, ut Taletas Atheniensis, Chion Corinthius —.

279, 4 a capite autem ad imam calcem tigni contenti fuerunt funes IIII crassitudine digitorum VIII.

Quibus omnibus locis non actio praeterita, sed status actione aliqua *effectus* historico sermone narratur. Apertissima autem illarum formarum vis in his est exemplis:

278, 19 in ea materia fuerunt ex torno facti axiculi duo.

279, 9 ex quibus autem funibus pendebat, eorum capita fuerunt ex ferro factae quadruplices catenae.

De exemplis, quae sunt 252, 2 et 244, 2, ubi verba mutanda esse puto, postea dicam.

Aliter res se habet in plusquamperfecti formis. Ut enim in Vitruvii libris saepe plusquamperfecti laxior significatio deprehenditur, ita formas fuerat-fuerant vel per se positas saepe simplicis praeteriti munere fungi videmus.

Plusquamperfecto tempore proprie significatur res praeterito tempore absoluta ita ut spectet ad alteram actionem praeteritam, qua prior evenerit.

In Vitruvii libris duae actiones saepe inter se comparantur, ut plusquamperfectum respondeat praesenti. Res exemplis declarabitur:

176, 9 sed quae fuerat optima Attica ideo nunc non habetur quod —.

183, 20 . . . quaeque de aere nascerentur item in caeli regiones reverti

---

[1]) Plura eiusmodi exempla inveniuntur et apud Kuehnastum l. l. et in iis quae posuit Weissenbornius in adnotatione ad Liv. III. 26, 11.

[2]) Cfr. Madvig. l. l. p. 224.

neque interitiones recipere et dissolutione mutata in eam recidere in qua ante fuerant proprietatem.

221, 19 Iovis autem . . . . consistit post annos XI et dies CCCXIII et redit in id signum in quo ante XII annis fuerat. — Item fuerat positum est 222, 1. 227, 13. Qua cum forma conferas plusquamperfectum fecerat (221, 17) et perfectum coepit (ib. 15) — quae sunt exempla sermonis Vitruviani inter elegantem et vulgarem dictionem fluctuantis.

Alter est usus plusquamperfecti pro simplici praeterito positi, ubi in narrandis rebus perfecto historico tempus plusquamperfectum sociatur, quo status alicuius rei in idem temporis spatium cadens significetur:

31, 14 itaque Dinocrates ab his se existimans ludi ab se petiit praesidium. fuerat enim amplissima statura, facie grata, forma dignitateque summa. Item: 174, 5. 176, 22. 203, 14. 216, 4. 283, 19.

Similiter plusquamperfectum positum est initio narrationum, quas inseruit Vitruvius praescriptionibus:

251, 20 Pixodarus fuerat pastor (es war einmal).

280, 18 Diognetus enim fuerat Rhodius architectus, et ei de publico quotannis certa merces pro artis dignitate tribuebatur ad honorem.

Deinde plusquamperfectum illud occurrit, ubi machinae alicuius vel instrumenti mensurae aliaeve proprietates exponuntur:

277, 18 Non mihi etiam videtur esse alienum de testudine quam Hegetor Byzantius fecit quibus rationibus sit facta exponere. fuerat enim eius baseos longitudo pedum LX . . . . . ib. 25 fuerat autem earum altitudo pedum VI S∹ Item 278, 4. 281, 6, 8.

Verbi habendi usum — quod verbum ibidem occurrit — hoc loco breviter commemoro, quod saepe id a cum suspensum nobis tractandum erit. Cuius verbi plusquamperfectum constanter positum est, sive agitur de mensuris:

274, 10 habuerat autem (sc. testudo) intervallum cubitorum XXX —. Item 278, 24.

sive de machinarum membris partibusque, quae accuratius describantur. Conferas exempla, quae sunt 277, 24. 278, 3, 10. 279, 2, 12.

Quam late ille plusquamperfecti usus in Vitruvii libris pateat, ex eo quoque cognosci potest, quod imperfectum verbi habendi nusquam, verbi substantivi non invenitur nisi rarissime.

Laxam illam plusquamperfecti temporis significationem, quae apud comicos haud ita raro, apud scriptores classicos qui vocantur nonnumquam deprehenditur[1]), sermonis vulgaris propriam fuisse satis constat.

---

[1]) De ea re cum multi strictim, tum accuratius egerunt: Haase: in adnotatione 456 ad Reisig.

Neque eam in Vitruvii libris latissime patere mirum videri potest post ea, quae initio huius disputationis de sermone Vitruviano disseruimus.

Ad ea exempla transeamus, in quibus verbi substantivi formae fuerat-fuerant cum participiis passivorum et deponentium sunt coniunctae.

Exemplum pono:

279, 3 — et ex ipso rostro lamminae ferreae IIII circiter pedum XV fixae fuerant in materia.

Ibidem vero legimus imperfectum verbi substantivi participiis sociatum:

278, 17 quo insuper conlocata erat alternis materies inter scapos et transversaria traiecta —.

ib. 21 conlocatum erat.

279, 9 insuper . . . . totus aries erat involutus.

Tum utraque forma eodem in enuntiato occurrit:

277, 21 arrectaria quae supra compactionem erant quattuor conlocata ex binis tignis fuerant compacta.

Quos locos cum diligenter inspexerimus et comparaverimus, facere non poterimus, quin statuamus Vitruvium illas formas distingui voluisse. *Imperfecto* enim verbi substantivi magis rei status, qui tum fuerit, significari mihi videtur, plusquamperfecto magis ipsius antecedentis actionis effectus. Itaque postremum quem posui locum sic vertemus:

„Die Ständer, welche zu vier über dem Rahmen standen, hatte man aus je zwei Balken zusammengezimmert“.

Praeterea conferas exempla, quae sunt: 52, 8. 87, 3. 237, 8. 280, 26.

Neque huc non pertinent ei loci, in quibus plusquamperfectum tempus actionis alicuius positum est non ex vera temporis condicione, sed per anticipationem.

In his, quae leguntur: 86, 25: is calathus fortuito supra acanthi radicem fuerat conlocatus. plusquamperfecto conlocatus fuerat prorsus idem tempus subest, quod perfecto conlocavit, quod antecedit ib. 25; sed plumquamperfectum altero loco positum est spectans ad ea, quae sequuntur.

Itaque dubitaverim, num probabilis sit illa Marini coniectura, quem secuti Rose et Mueller — Struebingius editores pro fuerat plusquamper-

---

Herzberg: in comm. ad Prop. vol. III pag. 43.

Brehme: in dissertatione, cui inscriptum est: Linguarum laxam temporum significationem iam priscis linguae latinae temporibus in vulgari elocutione perspici posse. Gotting. 1879. pag. 12.

fecto, quod codices praebent (252, 2), perfectum fuit in textum receperunt.

Verba sunt haec:

. . . ibique duo arietes inter se concurrentes alius alium praeterierunt et impetu facto unus cornibus percussit saxum, ex quo crusta candidissimo colore fuerat (fuit) deiecta. ita Pixodarus dicitur oves in montibus reliquisse et crustam cursim Ephesum . . . detulisse.

Tanta cum severitate iudicii dictionis concinnitatem restituere equidem non audeo: immo reddendum est me iudice illud plusquamperfectum Vitruvio, quem maxime in narrationibus praeceptis insertis solutiore et negligentiore sermone usum esse videmus. Neque igitur plusquamperfectum fuerat deiecta in hunc fere modum interpretari dubito:

„Und von diesem Fels war dabei zufällig ein Splitter abgestossen worden. Da soll denn Pixodarus seine Schafe verlassen haben und den Splitter spornstreichs nach Ephesus gebracht haben".

Ceterum formam fuit deiecta eam ob causam probari non posse censeo, quod Vitruvius utriusque perfecti temporis formae discrimen observavit. Hoc vero loco fuit deiecta non rei effectae tempus praeteritum, sed simplex factum praeteritum significaret; quem usum a Vitruvii sermone abhorrere supra demonstravimus.

Venimus ad futuri exacti formas.

Eo in tempore formas pleniores usitatissimas fuisse ex eo uno cognoscitur, quod viri docti, qui Latinae grammaticae operam dederunt, usque ad proximi saeculi exitum formis amatus fuero cet. in libris paradigmate usi sunt, dum Seyfertus errorem sustulit formis amatus ero cet. in legitimam dignitatem restitutis. Has enim esse futuri exacti principales formas, e Catonis maxime sermone apparet, qui futuro exacto saepissime usus nusquam habet participium p. p. cum fuero cet. formis coniunctum [1]).

Quae formae ut deinde postea in frequentissimum usum venerunt, ita in Vitruvii libris sunt usitatiores.

Cum autem futuri exacti usus in Vitruvii libris latissime pateat et exempla sint frequentiora, quam quae respiciantur omnia, eorum exemplorum rationem explicare sufficiet, quae habent futurum exactum a cum suspensum.

Participio perfecti sociatum est futurum primum verbi substantivi

[1]) Cfr. Haase ad Reisigium adn. **447**.

sedecim[1]), futurum exactum quinquaginta fere locis. Cum autem ea utriusque generis exempla comparantur, apparet in plurimis utriusque formae discrimen vix persentisci posse. Exempla pono haec:

cum sic erit factum — 22, 31. 165, 12.
cum ita factum fuerit — 21, 12. 137, 4. 168, 19.

Sed tamen sunt loci, quibus probetur huius quoque temporis formas ita distingui voluisse Vitruvium, ut verbi substantivi futurum primum magis spectet ad rei alicuius futurae statum, futurum exactum ad ipsius prioris actionis effectum.

Conferas enuntiata quae sunt:

206, 12 hoc autem, sive plana est aqua seu sphaeroides, necesse est, ad extrema capita dextra ac sinistra cum librata regula erit pariter sustinere regulam aquam.

ib. 7 item eo chorobate cum perlibratum ita fuerit, scietur quantum habuerit fastigii.

Sed cum accuratius nobis agendum sit de futuri exacti usu, ad singulas enuntiatorum formas explicandas transeamus, ut redeat oratio, unde aberràvit.

Ac primum agatur de iis enuntiatis, in quibus futurum exactum occurrit utrobique positum.

In enuntiatis, ubi cum habet vim explicativam, ut bis positum invenimus tempus praesens (47, 27) et futurum primum (69, 2), item legitur futurum exactum — velut 15, 19:

firmitatis erit habita ratio, cum fuerit fundamentorum ad solidum depressio e. q. s.

Apertum est vix quicquam interesse — si rem spectes — utrum futurum primum an exactum in eiusmodi enuntiatis positum sit. Nullum enim est discrimen nisi quod Vitruvius modo rem futuram, modo futuro in tempore iam perfectam cogitavit.

Nonnunquam fit, ut futuro exacto bis posito admisceatur significatio efficacioris affirmationis[2]). Apud Vitruvium unum eiusmodi extat exemplum:

154, 24 cum magnificenter opus perfectum aspicietur, a domini potestate impensae laudabuntur, cum subtiliter, officinatoris probabitur exactio, cum vero venuste proportionibus et symmetriis habuerit auctoritatem, tunc fuerit gloria architecti.

---

[1]) Cfr. 13, 14. 22, 31. 26, 20. 29, 16. 41, 6. 108, 10. 130, 6. 152, 13. 165, 12, 22. 168, 22. 187, 19. 206, 14. 211, 6. 248, 2. 270, 2.

[2]) Cfr. Madvig. de formarum quarumdam verbi Latini natura et usu disputatio. Opuscl. acad. vol. II pag. 95.

Enuntiata secundaria omnia eandem temporis condicionem indicant. Tertia autem in sententia, cui maiorem esse gravitatem ex adverbiis quae sunt addita (vero-tunc) cognoscitur, futurum exactum fuerit oppositum est simplicibus futuris: laudabuntur et probabitur, ut affirmationis vis augeatur.

Denique hoc commemoro exemplum: 108, 11 cum autem coronis praecincti parietes erunt, vox ab imis . . . . . auribus erit intellecta. Quae verba respondent iis, quae praecedunt: ib. 8 quae (sc. coronae) si non erunt, vox ibi disputantium elata in altitudinem intellectui non poterit esse audientibus. Futuro exacto erit intellecta non tam actionem quam statum rei significari elucet itaque vertemus: „Wenn die Wände mit Gesimsen umgürtet sind, wird die Stimme von unten her vernehmlich sein".

Sequitur ut ea exempla afferam, in quibus futurum exactum cum simplici est compositum velut:

14, 1 cum enim ex pestilenti in salubrem locum corpora aegra translata fuerint . . . . . celerius convalescent. Item: 21, 12. 22, 31. 26, 20. 29, 16. 53, 7. 82, 17. 137, 4. 152, 13. 165, 12. 168, 5, 19. 187, 9. 206, 8. — 95, 3. 165, 27. — 7, 3. 46, 28. 82, 13. 147, 5. 207, 11. 211, 21. 265, 17.

Tum cum de futuro primo enuntiati secundarii egimus, commemoravimus auctores Latinos rarissime in apodosi posuisse praesens tempus. Eandem futuri exacti esse rationem per se intelligitur. Saepissime autem futuro primo vel altero praecedentibus, in apodosi praesens occurrit, quo, sensum si spectas, rem aliquam futuram significari apparet. Quod varie efficitur:

Plurima in Vitruvii libris quae inveniuntur sunt exempla, in quibus praesens coniunctivi positum est, cui inest vis imperativi velut:

180, 17 . . . cum erunt carbones, extinguantur.

22, 27 cum autem fundamenta ita distantia inter se fuerint constituta, tunc inter ea alia transversa . . . . . conlocentur.

Item: 55, 10. 141, 13, 24. — 41, 6. 130, 6, 15. 140, 1. 153, 21. 163, 21. 164, 7, 15. 165, 8, 22. 166, 7. 168, 3. 169, 18 rell.

Aut verbo, a quo apodosis pendet, actio in futurum tempus transfertur hoc modo:

138, 27 cum ergo constituta symmetriarum ratio fuerit . . . ., tum etiam acuminis est proprium providere . . . .

206, 12 hoc autem . . . . . necesse est, ad extrema capita dextra ac sinistra cum librata regula erit pariter sustinere regulam aquam.

Breviter adnoto nusquam oportet eodem modo usurpatum occurrere, cuius verbi munere fungitur coniunctivus iussivus et gerundium, quod

extat undecies: 26, 1. 108, 13. 145, 6. 152, 25. 165, 13. 167, 1, 23. 187, 19. — 53, 3. 95, 3. 166, 3.

Aut praesenti inest notio facultatis. Plurimis quidem locis futuris praegressis respondere videmus in apodosi futura poterit-poterunt: velut 22, 31. 137, 4. 168, 4, 19. 207, 11.

Bis praesentia potest-possunt occurrunt:

208, 26 . . . quod et decursus et circumductiones et ventres et expressus hac ratione possunt fieri, cum habebunt a capitibus ad moenia fastigii libramenta.

113, 25 non enim inter duo intervalla, cum chordarum sonitus aut vocis cantus factus fuerit, ... possunt consonantiae fieri.

Neque a Cicerone eam dictorum temporalium formam plane abesse exemplo comprobatur, quod unum attulit Hoffmannus l. l. pag. 67:

Lael. 22, 82: in talibus . . . stabilitas amicitiae confirmari potest, cum homines primum cupiditatibus imperabunt, deinde aequitate iustitiaque gaudebunt e. q. s.

In iis, quae adhuc posui, exemplis praesens tempus, quod est in apodosi, prorsus nihil habet miri: cum enim dicitur, aliquid fieri oportere aut posse, simul res aliqua futura indicatur.

Sed multa sunt exempla in quibus futuro exacto respondet praesens nude positum in apodosi.

Ac primum ea quidem consideremus, in quibus cum habet vim explicativam.

Iam diximus de eiusmodi enuntiatis, in quibus praesenti respondet futurum primum (cfr. 12, 27). Futurum exactum ita positum est his locis:

13, 14 ad consuetudinem autem decor sic exprimitur, cum aedificiis interioribus magnificis item vestibula convenientia et elegantia erunt facta.

47, 25 isodomum dicitur cum omnia coria aequa crassitudine fuerint structa, pseudisodomum cum inpares et inaequales ordines coriorum diriguntur.

Itaque valde dubito, num tolerari possint, quae leguntur 244, 1: scansorium autem est, cum machinae ita fuerunt conlocatae ut ad altitudinem tignis statutis et transversariis conligatis sine periculo scandatur ad apparatus spectationem.

Totam si sententiarum compositionem respicimus, certe Jocundo concedemus, verba: est cum post autem esse addenda. Perfecti autem forma fuerunt conlocatae mihi quidem prorsus non probatur, sed cum veteribus editoribus futurum exactum fuerint conlocatae praeferendum esse censeo. Fuerint enim tum in fuerunt mutatum est me iudice, postquam

verba illa est cum exciderunt. Quibus verbis Vitruvio redditis perfectum historicum fuerunt conlocatae ibi ferri non potest.

Sed hunc, de quo agimus, usum futuri exacti latius patere videmus maximeque ad ea pertinere enuntiata, quibus significatur, cum alterum factum sit vel fuerit, alterum fieri vel esse solere.

Illis de formis et activi et passivi[1]) generis, quas si ipsas inspicias, et futuro exacto et coniunctivo perfecti tribuere licet, viros doctos alios aliter iudicasse notum est.

Nunc quidem ponere liceat, eas esse futuri exacti.

Vitruvium futurum tempus indefinitum et praesens tempus infinitum eadem in sententia haud ita constanter disiunxisse, sed utrumque membrum utroque tempore saepe variasse, ostendisse exemplisque iam probasse mihi videor. Nunc vero exempla afferre opus est, e quibus intelligi possit, quemadmodum Vitruvius futuro exacto praegresso enuntiati primarii tempus variaverit.

Primum exemplum pono, in quo propter ipsam futuri exacti formam de tempore dubitari non potest:

168, 22 cum vero unum corium harenae et unum minuti marmoris erit inductum, tenuitas eius minus valendo faciliter rumpitur nec splendorem politionibus propter inbecillitatem crassitudinis proprium obtinebit.

Tum conferas:

46, 28 cum autem superarit et acundarit copia calcis et harenae, paries plus habens umoris non cito fiet evanidus, sed ab his continetur.

47, 14 ita enim non acervatim sed ordine structum opus poterit esse sine vitio sempiternum, quod cubilia et coagmenta eorum inter se sedentia et iuncturis alligata non protrudent opus neque orthostatas inter se religatos labi patiuntur.

196, 11 . . . ea pars, quae fuerit exempta invenietur lapidea, quae autem pars extra aquam manserit permanet in sua proprietate. Item 205, 5, 7.

Denique hoc commemorare liceat: In Catonis libro, quo praecepta de agricultura continentur, quamquam Catonis sermo totum per librum summa est constantia atque aequalitate[2]), tamen nonnulla deprehenduntur exempla, in quibus praesentia et futura confunduntur. Cfr. de agricultura XVII. 1 (ed. Keil. pag. 29): Robus materies item ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam semper tempestiva est. Cetera materies quae semen

---

[1]) Vitruvium enim longe plurimis locis formas: fuerit-fuerint cum participiis p. p. coniunxisse iam dixi.

[2]) Cfr. exemplorum schema, quod posuit Schoendoerfer in diss. de *genuina Catonis de agricultura* libri forma. Part. I. De syntaxi Catonis. pag. 60 s. *et 62 s.*

habet, cum semen maturum habet, tum tempestiva est. Quae materies semen non habet, cum glubebit, tum tempestiva est.

Sed videamus, quid viri docti de illa temporum coniunctione senserint.

Notum est Madvigium formas illas futuri exacti sive coniunctivi perfecti, quae a cum vel si vel vocibus relativis universalibus pendentes responderent praesenti enuntiati primarii, e scriptorum Latinorum libris eiecisse, sententiamque suam probavit de Cicerone in adnotatione ad de fin. V. 41 et in opusc. acad. vol. II. pag. 281 s., de Livio et Seneca in emend. Liv. pag. 621. Ante Madvigium editores omnino non dixerant, utrum perfecti coniunctivo an futuro exacto eas formas tribuendas esse putarent, Madvigius autem in adnotatione illa contendit, coniunctivo modo nullum locum esse in hac simplici temporis ratione neque magis futuro exacto, quoniam nulla omnino futuri temporis significatio sit. Formas illas esse librariorum manibus depravatas et in perfectum indicativi mutandas. Nec dubium est, quin vir ille doctissimus permultos locos ab editoribus neglectos sanaverit codicum bonorum vel deteriorum testimoniis adiutus. Nonnusquam vero, ubi omnes codices formas illas praebent, coniectura minus probabilis mihi esse videtur.

Perfectum coniunctivi, quo res quae fieri soleat significetur, a Cicerone abhorrere certum est. Neque vero item sine haesitatione dixerim, negligentiam illam prorsus alienam ab eo putandam esse, qua fiat, ut futurum exactum opponatur praesentis aoristo pro futuro posito. Permagni enim est momenti, quae sit in eiusmodi exemplis praesentis natura. Exemplum ponere hic liceat, quo usus est Madvigius l. l. e Cicerone sumpto:

de orat. II. 24 cum huc veni, hoc ipsum nihil agere me delectat. In eiusmodi exemplis praesens ad eum spectat, qui loquitur, neque umquam cum eo futurum exactum coniungere licet. Sed ab eis illa exempla discerni oportet me iudice, in quibus praesens quodlibet tempus, i. e. universum atque infinitum, complectitur, velut:

de fin. V. 37 . . . . idem (natura) facit in homine, cum eum ad rationis habitum perduxerit[1]).

Sed subsistere liceat in hac via, est enim altera, qua usi huc perveniemus.

Vitruvius permulta vel plurima praecepta, quae dedit de architectura, e Graecorum architectorum libris hausit. Ipse enim in praefatione libri

---

[1]) Quam formam M. in editione sua haud scio an propter modorum *attractionem servaverit.*

septimi magno scriptorum Graecorum numero collato (cfr. pag. 158 a v. 18) ait 160, 4: quorum ex commentariis quae utilia esse his rebus animadverti, collecta in unum coegi corpus. Neque igitur dubitari potest, quin ut futuro exacto cum primo vel coniunctivo iussivo vel gerundio composito responderint in Graecorum commentariis coniunctivus aoristi a coniunctione *ἐάν* (sive *ὅταν*) suspensus et futurum primum similiave, ita futurum exactum et praesens responderint coniunctivo aoristi et praesenti. Exempla afferre liceat, e quibus res apertissime elucet. Ubi dicit de harmonia et modulatione, quam rem ex Aristoxeni scripturis se interpretatum esse ipse dixit Vitruvius (110, 20), complura eiusmodi exempla offenduntur:

113, 19 . . . cum vox constiterit in una sonorum finitione ab eaque se flectens mutaverit et pervenerit in quartam terminationen, appellatur diatessaron, in quintam diapente, in sextam diapason e. q. s.

Item 113, 25. 110, 5.

208, 15 . . . sin autem valles erunt perpetuae, in declinato loco cursus dirigentur. cum venerit ad imum, non alte substruitur (sc. ductio), ut sit libramentum quam longissimum. hoc autem erit venter quod Graeci appellant *κοιλίαν*. deinde cum venerit adversus clivum, ex longo spatio ventris leniter tumescit e. q. s.

Sed ad Ciceronem redeamus paucisque illum locum tangere liceat, qui multos iam interpretes occupavit:

d. rep. I. 43, 63 cum enim inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti malisque usus ille ministris non modice temperatam sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit e. q. s.

Quibus verbis ipse Cicero Latine se reddere dicit locum illum Platonis: de rep. VIII. 562, C.: *ὅταν, οἶμαι, δημοκρατουμένη πόλις ἐλευθερίας διψήσασα κακῶν οἰνοχόων προστατούντων τύχῃ καὶ πορρωτέρω τοῦ δέοντος ἀκράτου αὐτῆς μεθυσθῇ, τοὺς ἄρχοντας δὴ ἂν μὴ πάνυ πρᾶοι ὦσι . . . κολάζει κ. τ. λ.*

Mihi quidem Goebelius rationem, quae sit inter Graeca verba et Latina, recte perspexisse videtur. Qui vir doctus in disputatione: de coniunctione quom (Gueterslohae 1879) hoc modo disseruit:

Illud quom hauserit reddit verba: *ὅταν μεθυσθῇ*. graecum *ἄν* coniunctum cum coniunctivo aoristi latine semper reddi debet futuro exacto. hauserit igitur est futurum exactum. perfectum autem exaruerunt respondet aoristo, quod tempus in forma *διψήσασα* inest.

Illo quidem de loco prorsus non aliter iudicari posse, contendere non audeo: sed certum est dubitari posse, num forma illa hauserit vitio laboret. Apud Vitruvium autem eas formas Graecorum aoristi coniunc-

tivo addita particula ἂν respondere, post ea, quae adhuc disputavimus, apparet. Neque vero de ea re disputatio absoluta est; huc redeamus oportet, cum de praesentis coniunctivi usu egerimus.

Coniunctivi praesentis a cum suspensi in Vitruvii libris permulta sunt exempla. Ac primum de eis agatur, quibus significatur, cum alterum sit, et alterum futurum esse vel semper esse. Notum est Graecos in eo dictorum genere ὅταν (ἐάν) coniunctione constanter uti cum praesentis coniunctivo coniuncta ita ut in enuntiato primario sint aut futurum tempus incertum similiave aut praesens tempus infinitum. Apud Latinos- si Draegeri indices[1]) inspicimus, qui omnia a viris doctis adhuc observata continent — primum Plinium in naturalis historiae libris coniunctivum praesentis ita usurpasse videmus, ut respondeat Graecorum consuetudini. Tamen nemini mirum videbitur, iam in Vitruvii libris coniunctivum illum praesentis saepe occurrere. Neque enim dubitari postest, quin ille usus, ut in Latinitatem ad deterius cadentem irrepserit, ita in Vitruvii libros eodem e fonte fluxerit. Nec mirabimur, quod Vitruvius, cum scriptores eiusdem aetatis elegantiores Latinitatem puram et integram servarint, ipse e perpetua contagione Graeci sermonis Graecorumque exemplorum haud immunis — ut ita dicam — exiit. Exempla sunt haec:

264, 10 ita cum rota progrediens secum agat tympanum imum et denticulum eius singulis versationibus tympani superioris denticulos inpulsu cogat praeterire, efficiet ut e. q. s.

Item 15, 25.

Frequentiora sunt exempla, quorum in apodosi est praesentis aoristus.

16, 26 idem (sc. ferrum) cum molle et candens refrigeretur, tinctum frigida redurescit et restituitur in antiquam proprietatem.

Item 46, 26. 109, 26. 123, 20, 24. 193, 9. 220, 22. 226, 11, 12, 15.

Post ea, quae adhuc de singulorum temporum et modorum usu disserui, apparet Vitruvium Graecum coniunctivum praesentis, cui addita est particula ἂν, varium in modum reddidisse: et praesentis et futuri indicativo et praesentis coniunctivo. — Commemorare hic liceat, illud, de quo agimus, Graecorum idioma Latinorum temporibus ac modis apte reddi non posse. Latinorum enim coniunctivo praesentis inest notio mere potentialis, quod dictorum genus Graeci optativis suis exprimere solent. Indicativo autem praesentis et futuro primo membra artius iun-

[1]) Cfr. Draeger. Histor. Synt. vol. II. p. 575.

guntur quam Graecorum coniunctivo praesentis addito ἄν, cui elocutioni subest aliquantulum incertitudinis. Futurum exactum denique aptius respondet aoristi coniunctivo.

Sed redeamus, ut nobis est propositum, ad eas formas, quae et perfecti coniunctivi et futuri exacti esse possunt.

Eas tum quoque, cum praesens sit positum in apodosi, futuro exacto tribuendas esse, supra probare studui. Si vero quis, cum illum praesentis coniunctivi usum, de quo modo disserui, respexerit, ibi perfecti coniunctivum iterativum statuere maluerit, rem vix cuiquam probare poterit[1]). Valde enim dubito, num ipse Vitruvius illas formas dignoverit, ut has futuro exacto illas magis perfecto tribuendas censuerit. Hoc vero iam constat: Vitruvius, ubi illam, de qua satis superque diximus, temporum et actionum rationem reddere vult, et eas, quas futuri exacti adhuc appellavimus, formas et praesentis coniunctivum saepe adhibet ita ut in enuntiato primario respondeat modo futurum tempus modo praesens[2]).

Ab iis, de quibus egimus, exemplis praesentis coniunctivi non illa quidem facile, sed tamen possunt discerni exempla, in quibus praesentis coniunctivo mera inest notio potentialis, quam Graeci optativo exprimere solent. Exemplum pono hoc:

177, 24 cumque in veste intextum est aurum eaque vestis contrita propter vetustatem usum non habeat honestum, panni in fictilibus vasis inpositi supra ignem comburuntur.

Item 177, 15. 125, 16 cet.

Permulti denique sunt loci, in quibus coniunctivus praesentis (et perfecti) habet notionem causalem aut concessivam, sed longius absunt a proposito, quam qui pertractentur.

Disputatione de enuntiatis temporalibus et iisdem condicionalibus absoluta iam pergimus ad explicandum usum coniunctionis cum mere temporalem. Cum enim Vitruvii libri plurima contineant praecepta, multa sunt generis historici, quae in praefationibus et in narrationibus ‚praescriptionibus‘ insertis inveniuntur.

---

[1]) Adde quod nulla extant in Vitruvii libris huius generis exempla, in quibus simplex perfecti passivi forma a cum suspensa sit (velut in Plin. n. h. 30, 91: cum . . . temptatus sit. cfr. Draeger l. l.), contra nonnulla supra posui exempla, in quibus participium p. p. cum simplici verbi substantivi futuro coniunctum respondet praesenti in apodosi posito.

[2]) *Eundem usum* in iis quoque enuntiatis, quae simul antequam donec *coniunctiones in fronte gerant,* perspici postea videbimus.

Auctores Latinos perlustrantes coniunctivum modum indicativo vulgo usitatiorem ac frequentiorem esse videmus, cum ad praeteritum tempus enuntiati primarii pertineat alterum praeteritum a cum suspensum, in idem cadens tempus vel prius, id quod facillime ex indicibus cognosci potest, quos Hoffmannus l. l. pag. 5 undique collectos composuit. Idem vir doctus in libro suo ostendit, quid intersit in eiusmodi enuntiatis inter utriusque modi significationem: Coniunctivo modo indicatur relatio quaedam temporalis, quae actionis secundariae tempus ad primariae referri et ipsam actionem secundariam primariae subiungi iubet. Indicativo autem significatur, utriusque temporis et utriusque actionis integritatem et libertatem magis servari ita ut enuntiato secundario simpliciter indicetur tempus actionis primariae[1]). Neque igitur mirabimur, quod historici, quibus singula facta arte copulanda et connectenda sunt temporum ratione, coniunctionem cum multo saepissime cum coniunctivo imperfecti vel plusquamperfecti coniunxerunt.

Neque aliter res se habet in Vitruvii narrationibus. Novem enim sunt indicativi exempla; sexaginta fere locis occurrit coniunctivus.

Primum de perfecti historici indicativo a cum suspenso agere liceat. Exempla quam brevissime adnoto, quae sunt 50, 12. 59, 26. Neque est cur miremur, quod indicativum positum videmus: 157, 2: itaque cum ab singulis sententiae sunt rogatae, sex una dixerunt e. q. s., paullo post coniunctivum: ib. 5: Aristophanes vero cum ab eo sententia rogaretur, eum primum renuntiari iussit qui minime populo placuisset. Illo enim in exemplo duo facta narratur: ‚ab singulis sententias esse rogatas‘ et ‚tum sex una dixisse‘. Altero loco actio rogandi — ut minoris momenti — actioni principali artius subiungitur.[2])

Duo sunt exempla, in quibus perfecto respondet imperfectum in apodosi positum.

Omnibus eius generis exemplis, quae plurima habent collecta Hoffmannus l. l. pag. 84 ss. et Draegerus l. l. pag. 558 ss. significatur, rem in statu aliquo fuisse aut fieri solitam esse, cum actio quaedam momentanea evenerit. Rem illustrare liceat his e Cicerone sumptis exemplis: Brut. 43, 161: haec Crassi cum edita oratio est, quattuor et triginta tum habebat annos.

---

[1]) Itaque Hoffmannus l. l. pag. 115 indicativi et coniunctivi usum distinxit hac usus notatione: coordinierte und subordinierte Satzform.

[2]) Quod haud scio an Germanice per hanc enuntiati formam fieri possit: A. aber gab auf die Frage nach seiner Meinung sein Gutachten dahin ab . . .

p. Flacc. 13, 30 praedones tum, cum illi bellum maritimum gerendum datum est, toto mari dispersi vagabantur.

Quod longe aliter esse in exemplis, quae in Vitruvii libris extant, facillime cognoscitur.

Cfr. 176, 8: haec (sc. ὤχρα) vero multis locis ut etiam in Italia invenitur, sed quae fuerat optima Attica ideo nunc non habetur, quod Athenis argenti fodinae cum habuerunt familias, tunc specus sub terra fodiebantur ad argentum inveniendum.

Duae res ibi inter se comparantur, quae ad idem temporis spatium pertinent. Quod Latine fieri solet per imperfecti indicativum bis positum; velut: Cic. ad fam. IX, 16, 7: tum enim cum rem habebas, quaesticulus te faciebat attentiorem [1]. Vitruvius autem perfecto habuerunt significari voluit: alterum semper factum esse, dum alterius rei status fuerit, qui tum desierit. Vertemus igitur: „Als (solange) sie noch . . , hatten“.

Plane eadem alterius exempli est ratio:

150, 10 nam cum fuerunt Graeci delicatiores et fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant triclinia cubicula cum penu cellas primoque die ad cenam invitabant e. q. s.

Quae verba Reberus sic reddidit: „Denn da die Griechen mit feinerem Takt und grösseren Glücksgütern ausgestattet waren u. s. w.“

Sed tamen magis est quod hunc locum superiori simillimum esse iudicemus, quam quod Reberum sequamur. Verba igitur vertenda sunt: „Denn als (solange) die Griechen noch vornehmer und wohlhabender waren u. s. w.“ —

Imperfecti indicativus a cum suspensus est 33, 24. 250, 10, plusquamperfecti: 18, 27. 250, 10. Multo saepius et imperfecti et plusquamperfecti coniunctivus occurrit.

Pauca de exemplis dicere liceat, in quibus plusquamperfectum coniunctivi respondet simplici praeterito. Nihil offendimus in huiusmodi exemplis:

131, 21: cum autem eius comites in patriam reverti voluissent interrogarentque eum quidnam vellet domum renuntiari, tunc ita mandavit dicere e. q. s. Item 85, 18. 178, 19.

Nam in sermone Latino temporum ratio, qua actiones et enuntiata inter se conciliantur, tam diligenter ac subtiliter respicitur, ut Latinorum acumina vix sensu consequi, verbis reddere omnino non possimus. Saepe enim futurum exactum et plusquamperfectum coniunctivi inveniuntur in enuntiato secundario, ubi non actio alteram praegressa, sed eam per

[1]) Cfr. Hoffmann. l. l. pag. 82 ss. ubi multa eiusmodi exempla invenies.

idem temporis spatium prosequens commemoratur, et eorum maxime verborum, quibus inest significatio voluntatis vel possibilitatis vel facultatis. Optime de ea re disseruit Matthiaeus, qui in: Vermischte Schriften (Altenburg 1833) pag. 73. hac usus est explicatione: Mihi in his Romani id spectasse videntur, quod etiamsi actiones, quae verbis posse, velle, licere, placere declarantur, continuari necesse est, dum actio ab iis profecta perficitur, tamen potestas, voluntas praecedere etiam debent ipsam rem.

Quorum verborum futurum exactum ita positum invenitur apud Vitruvium: 46, 9 si qui voluerit. 36, 19 ut potuero dicam; item 110, 20. 272, 2. 175, 15. Nonnumquam vero plusquamperfectum coniunctivi ita positum videmus, ut prorsus non res antecedens, sed rei alicuius status significetur, quo manente alterum evenerit. Velut: 59, 18: divus Caesar cum exercitum habuisset circa Alpes imperavissetque municipiis praestare commeatus ibique esset castellum munitum . . . . tunc qui in eo fuerunt . . . noluerunt imperio parere.

Quod plusquamperfectum cum temporali enuntiatorum coniunctione exsolverimus, apparebit illud habuerat, de quo supra disseruimus.

Disputatio de formis enuntiatorum a cum suspensorum iam absoluta est: restat ut de adverbiis temporalibus dicam, quae in apodosi inveniuntur. Ac primum ea exempla afferre liceat, in quibus cum coniunctioni tum adverbium ita respondet, ut id quod in altero enuntiati membro communiter, in altero proprie dicatur. Omnibus in exemplis quae extant quattuor tum adverbio incrementum afferri videmus addito adverbio etiam, velut:

148, 22 cum autem in tricliniis ceterisque conclavibus maximus est usus luminum, tum etiam in itineribus clivis scalis e. q. s. Item 155, 4.

Insuper adverbium maxime adiunctum est: 3, 4 cum in omnibus enim rebus, tum maxime etiam in architectura haec duo insunt, quod significatur et quod significat.

Item dictionis abundantiae tribuenda est particula et coniunctioni cum addita: 178, 19: itaque cum et alii multi, tum etiam Faberius scriba .... peristyliis parietes omnes induxit minio.

Ad ea transeamus enuntiata, in quibus tum sive tunc adverbia spectant ad enuntiatum temporale, quod sequitur. Tempus igitur, quod adverbio temporali indicatur, enuntiato temporali accuratius explicatur. Exempla inveni haec:

(tum) 51, 8. 55. 10.
(tunc) 59, 26. 215, 20.

Multo saepius tum vel tunc pertinent ad enuntiatum temporale ita

ut omnia, quae in eo sunt dicta, uno adverbio comprehendantur, velut:
108, 13 cum forum constitutum fuerit, tum . . . eligendus est locus theatro e. q. s.

22, 31 cum enim sic erit factum, tunc . . . poterit e. q. s.

Non mirabimur Vitruvium architectum Augusti aetatis tunc adverbio saepius usum esse quam tum. Si utriusque adverbii usum totum respicimus, tum vicies, tunc nonagies praebent codices. Praeterea commemoranda sunt exempla: 26, 6. 34, 30. 36, 8. 51, 22, 8. 283, 15, ubi editores codicem vetustiorem Harleianum, qui tum praebet, sequi maluerunt quam Gudianum, in quo tunc legitur.

Pauca hic commemorare liceat de abundantia quadam dictionis qua duo adverbia temporalia significatione similia componuntur. Leguntur: deinde tum 189, 93. — quae adverbia ita inter se iuncta apud Varronem et Quintilianum deprehendi Kuehnastns docuit in synt. Livian. pag. 273. —

Deinde tunc: 129, 27. 130, 24. 146, 9. 179, 4.

tum (tunc G) postea: 26, 6.

deinde postea: 179, 2, quae adverbia item posita inveniuntur apud Livium XLI. 24, 20, quem ad locum Weissenbornius adnotavit, et Ciceronem adverbia illa habere ita sociata p. Murena 24, 16.

Denique commemoro, Vitruvium nonnumquam pronomen demonstrativum aut adverbium sic posuisse in enuntiato primario, quae spectent ad insequens enuntiatum, quo explicantur. Exempla sunt:

71, 10 diastyli autem haec erit compositio, cum e. q. s.

13, 14 ad consuetudinem autem decor sic exprimitur, cum e. q. s.

185, 21 sic enim non errabit excelsius quam oporteat visus, cum e. q. s.

Similiter ita adverbio aut pronomine demonstrativo indicari insequentem accusativum cum infinitivo q. v., Praunus exemplis probavit l. l. pag. 41.

His absolutis de ceteris agamus coniunctionibus temporalibus ac primum de coniunctione:

posteaquam.

Vitruvius constanter usus est forma: posteaquam. Bis insertum est autem, ut legantur verba: postea autem quam 68, 9. 84, 24. Octies posteaquam sequens habet perfectum indicativi. Enuntiatis ita coniunctis significari solet, alteram actionem absolutam statim alteram subsecutam esse. Velut:

282, 3 itaque posteaquam viderunt hostem pertinaciter infestum . . . ., procuberunt Diogneto rogantes ut auxiliaretur patriae. Item: 36, 13. 68, 9. 84, 24. 215, 16. 282, 7.

Non raro posteaquam apud auctores Latinos invenitur, ubi in enuntiato temporali non actio absoluta, sed status rei alicuius praeteritae

commemoratur. Tum vero posteaquam cum imperfecti indicativo coniungitur. Apud Ciceronem quattuor eiusmodi exempla extant. [1]) Saepissime autem illud dictorum genus apud Livium invenitur, cuius e libris Hoffmannus l. l. centum fere exempla attulit. Ut vero apud plurimos scriptores Latinos eorum verborum, quibus inest notio diuturnitatis, imperfectum tempus positum invenitur, velut: postquam — poterant (Cic. p. Quinct. 22, 70. Caesar. b. g. VII, 87. Val. Max. III, 8, 1. VIII, 11, 17. Flor. I, 10, 14), non item apud Vitruvium. Cfr. 34, 18 posteaquam . . . . . non potuerunt. 272, 25 posteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum e. q. s. —

Semel coniunctionem posteaquam plusquamperfecti coniunctivus sequitur:

59, 30 posteaquam flamma circa illam materiem virgas comprehendisset, ad caelum sublata effecit opinionem uti videretur iam tota moles concidisse.

Quod exemplum Hoffmannus l. l. pag. 50 et Draegerus l. l. pag. 592 ceteris quae extant, adiunxerunt.

Quamquam de nonnullorum eiusmodi locorum integritate dubitari potest, tamen plurimi omnium vel meliorum codicum fide quam maxime confirmantur. Cfr:

Cic. de imp. Cn. Pomp. 4, 9. de legg. II, 25, 64. ad Att. XI, 12, 1. pro Cluent. 64, 181. Liv. XXII, 1, 2 [2]). Valer. Max. V, 7 ext. 2.

Tamen Draegerus omnibus eiusmodi exemplis fidem abrogandam esse putavit. Vitia igitur, quibus libri mss. laborent, ita tolli vult, ut in exemplis, quae apud Caesarem et Ciceronem inveniantur, quam in quum mutetur, apud Livium ceterosque inferioris aetatis scriptores verborum exitus corrigantur. Sed vereor ne illud arbitrium severius sit atque durius quam quod omnibus probari possit.

Neque silentio praetermittenda sunt, quae Hoffmannus l. l. pag. 50 protulit. Qui vir doctus cognovit, coniunctivo minime eandem utriusque actionis rationem exprimi quam indicativo, sed coniunctivo modo actionem enuntiati temporalis ut quae sit minoris momenti ac ponderis actioni principali artius subiungi. Quod praeceptum ad illud exemplum transferamus, quod supra posuimus. Ut vero utriusque modi discrimen magis appareat, alterius generis exemplum e Vitruvii libris afferre liceat.

215, 16 posteaquam indicium est factum dempto auro tantundem argenti

---

[1]) ad Att. III, 19, 1. ad fam. VII, 5, 1. p. Quinct. 22, 70. p. Rosc. com. 11, 30. cfr. Hoffmann. l. l. pag. 9. Draeger. Hist. Synt. vol. II. pag. 586.

[2]) Cfr. Kuehnast. Liv. Synt. pag. 212.

in id coronarium opus admixtum esse, indignatus Hiero . . . . rogavit Archimedem uti in se sumeret sibi de eo cogitationem.

Duo facta narrantur: indicium esse factum, — tum Hieronem Archimedem rogasse. Altero vero loco (59, 30) non id tantum dicere vult Vitruvius: primum hoc, tum illud factum esse, neque dicit: postquam flamma virgas comprehendit, ad caelum elata est. Sed omnia totius enuntiati temporalis membra valent ac spectant ad unum id explicandum, quod summum est: flammae effectum, quo ei qui aderant decepti sunt. Cui vero hoc probabitur, concedat oportet, coniunctivum illum ‚relativum', quem a cum coniunctione suspensum longe saepissime inveniri constet, item cum posteaquam coniunctione nonnunquam coniunctum videri. Neque mihi quidem illud structurae genus tam valde abhorrere videtur a posteaquam coniunctionis natura et significatione, ut omnibus eiusmodi exemplis fidem prorsus abrogandam esse censeam.

simul

coniunctio constanter in eis librorum partibus invenitur, quae artis praecepta et percepta continent. Sed animadvertas, quaeso, quanta sit varietas modorum et temporum in enuntiatis, quae a simul suspensa extant omnino undecim.

Indicativus perfecti logici coniunctionem sequitur: 45, 6 simulque sunt ab eo (i. e. igni) tacta, dissiliunt (sc. saxa). Item: 67, 1. 163, 1. 193, 16. Similiter 189, 19: . . . simul autem plus umoris habet congestum, non potest sustinere propter gravitatem e. q. s. —, habet congestum' enim perfecti logici munere fungitur.

Perfecto praesens appositum est 58, 2: simul autem vetustate sunt aridae factae (sc. ulmus et fraximus) aut in agro proiecto qui inest eis liquore stantes emoriuntur, fiunt duriores e. q. s.

Praesens solum occurrit: 137, 21 simul ad fortitudinem ingrediuntur, ibi succumbunt, quod e. q. s.

Ubique significatur, simul hoc factum sit vel fiat, semper illud fieri. Draegerus, qui eiusmodi exempla quinque tantum habet collecta,[1]) contendit in eiusmodi enuntiatis nusquam inveniri coniunctivum modum. Neque vero indices, quos vir ille doctus composuit, ad Vitruvium pertinent. Vide haec:

---

[1]) Hist. Synt. vol. II. 601:
Ind. perf. log. Lucr. VI. 1022. Cic. rep. II. 26. Tuscul. IV. 6, 12. Acad. *II. 27, 86. Ind. praes.* Cic. d. n. d. II. 48, 128.

181, 2 deinde pilae manibus versando efficiuntur et ita conligantur ut inarescant. aridae componuntur in urceo fictili, urcei in fornace. simul autem aes et ea harena ab ignis vehementia confervescendo coaluerint, inter se dando et accipiendo sudores a proprietatibus discedunt e. q. s.

24, 5 simul autem fervere coeperint, efficiunt e. q. s.

154, 23 . . . architectus autem simul animo constituerit, . . . habet definitum.

47, 1 simul autem umida potestas e materia per caementorum raritatem fuerit exsucta calxque ab harena discedat et dissolvatur, item caementa non possunt cum his cohaerere e. q. s.

Quae exempla eis plane respondere, quae a cum suspensa supra tractavimus, cuilibet conspicuum esse oportet.

Pro simplici coniunctione simul omnes codices semel exhibent simul ut (24, 5). Apud Ciceronem simul ut quinquies omnino positum esse omnium librorum mss. consensu, Madvigius adnotavit ad de fin. II. 11. 33. Ac recte suspicatus est, ipsos librarios, ubi simul pro simulac scriptum esset, nonnunquam et vel atque vel ut addidisse. Neque viri illius cum doctissimi tum subtilissimi opinio non confirmatur, si Vitruvii libros respicias. Nam 137, 21 uterque codex Gudianus ut habet additum, ubi codex antiquior Harleianus simul exhibet simpliciter positum. Sed de superiore quoque loco (27, 5) dubitari potest, num ipse Vitruvius simul ut scripserit. Neque enim usquam alibi — quod sciam — apud Vitruvium ut coniunctionis temporalis munere fungitur.

Sequitur ut de enuntiatis temporalibus agamus, in quibus duarum actionum, prioris et posterioris, comparatio efficitur coniunctionibus:

priusquam et **antequam.**

In pauca conferre liceat, quae viri docti de vario et inaequali — numerum si exemplorum spectas — utriusque coniunctionis usu tradiderint. Exempla, quae e Plauti et Terenti comoediis attulit Holtzeus, omnia habent priusquam. Catonis autem in libro de agricultura composito[1]) usum inter priusquam et antequam aeque temperatum videmus. Cicero antequam saepius usurpasse videtur quam priusquam. Caesaris in libris antequam raro, Sallustii rarissime,[2]) Cornelii Nepotis[3]) omnino non invenitur. Apud Livium antequam saepe occurrit, sed multo saepius

---

[1]) Cfr. Schoendoerfer. l. l. pag. 645.

[2]) Cfr. Draeger. l. l. pag. 617.

[3]) Cfr. Lupus. Der Sprachgebrauch des Cornelius Nepos. Berlin 1876. pag. 157.

priusquam.[1] Deinde antequam vulgo latius patet et apud Tacitum est multo frequentius[2]) quam priusquam. Itaque antequam superius discedens in linguas novicias transiit.

In Vitruvii libris priusquam bis, antequam decies sexies occurrit. Ac primum de iis agamus exemplis, quorum est sensus: antequam (priusquam) alterum fiat vel factum sit, alterum fieri solere vel oportere. Indicativus praesentis post illas coniunctiones positus legitur:

226, 2 ita quot mensibus sub rotam solis radiosque uno die antequam praeterit latens obscuratur, cum est cum sole, nova vocatur. Similiter 41, 26.

Perfecti logici indicativus suspensus est 56, 11: ex ea (sc. abiete) autem antequam est excisa quae pars est proxima terrae per radices recipiens ex proximitate umorem enodis et liquida efficitur.

Futurum primum a priusquam suspensum obsoletae vetustati tribuitur. Quam rem Antonius exposuit in egregia illa dissertatione, cui inscripsit: Beobachtungen über die Construction der lateinischen Zeitpartikeln antequam und priusquam. (Erfurt 1871). Qui vir doctus unum illud, quod traditum est apud Ciceronem exemplum (parad. VI. 1, 45. antequam . . . . reficietur), corrigendum esse statuit. (Vult enim futurum mutari in coniunctivum praesentis.) Neque apud priscos scriptores exempla inveniuntur nisi haec: Plaut. Pseud. 524. 885[3]). Cat. de agric. 60, 8. 82, 10, 13[4]),

Quibus exemplis paucissimis adde hoc Vitruvii:

108, 10 cum autem coronis praecincti parietes erunt, vox ab imis, morata priusquam in aera elata dissipabitur, auribus erit intellecta.

Apodosis est in participio morata — cui quamquam habet perfecti formam, futuri temporis notionem inesse apparet. Itaque dissipabitur futurum haud scio an positum sit, ne toto in enuntiato — antecedentibus perfecti passivi participiis: morata, elata — futurum tempus, quod sensu requiritur, desideretur.

Futurum exactum his est in exemplis:

165, 14 id autem erit recte, si glaebae calcis optimae ante multo tempore quam opus fuerit macerabuntur, uti e. q. s. Item 185, 19.

Saepius quam indicativus, quo mere temporalem utriusque enuntiati

---

[1]) Cfr. Kuehnast. l. l. pag. 239.

[2]) Cfr. Draeger. ibid.

[3]) Cfr. Lange. de sententiarum temporalium apud priscos scriptores Lat. syntaxi. Breslau 1878. pag. 31.

[4]) Cfr. Schoendoerfer. l. l. pag. 65.

rationem significari apparet, coniunctivus in iis, de quibus agimus, sententiis invenitur:

24, 2 fiunt enim aeolipolae aereae cavae. hae habent punctum angustissimum quo aqua infunduntur conlocanturque ad ignem, et antequam calescant, non habent ullum spiritum.

54, 10 materies caedenda est a primo autumno ad id tempus quod erit antequam flare incipiat favonius.

208, 6 e latitudine autem lamnarum, quot digitos habuerint, antequam in rotundationem flectantur, magnitudinum ita nomina concipiunt fistulae.

Item 177, 4. 41, 18. 204, 25.

Praeterea huc referenda sunt exempla insuper a coniunctione ut suspensa: 7, 7. 243, 16.

Denique praesens coniunctivi statuendum est[1]) hoc in exemplo:

33, 7 sed antequam naturales res incipiam explicare, ... anteponam.

Sequitur ut de iis dicam exemplis, quae in librorum partibus, quae sunt historici generis, inveniuntur.

282, 15 postero die helepolis accedens, antequam adpropinquaret ad murum, in umido voragine facta consedit.

Quorum verborum est sensus: hoc prohibuisse, quominus illud contingeret[2]). Alter est locus 43, 17. Itaque visum est antequam desideraretur . . . . exponere.

Coniunctivo inesse notionem finalem apertissimum est.

Transeamus nunc ad exponendum usum coniunctionum:

dum et donec.

Dum sexies occurrit. Bis indicativus sequitur:

104, 6 is (sc. cybus) cum est iactus quam in partem incubuit, dum est intactus inmotam habet stabilitatem.

212, 20 . . . dum vixerunt ipsi inter suos cives habuerunt nobilitatem.

Quo dictorum genere significatur, utriusque enuntiati actionem idem per temporis spatium permanere vel permanisse — id quod nos reddere solemus coniunctione: so lange.

Duo sunt loci, in quibus dum coniunctioni inest notio adversativa:

82, 3 . . . et ex eis una pars in medio cacumine tympani constituatur, dum contra epistylia columnarumque hypotrachelia ad perpendiculum respondeat.

95, 18 ipsius autem cellae parietum crassitudinem pro rata parte magnitudinis fieri oportet, dum antae eorum crassitudinibus columnarum sint aequales.

---

[1]) Cfr. Anton. l. l. pag. 5.

[2]) Eiusmodi exempla multa exhibet Draeger. l. l. pag. 624.

Utroque loco praecepta dantur. Coniunctivus modus a dum coniunctione suspensus significat, praeceptum pertinere ad enuntiatum secundarium. Itaque vertendum est (95, 18): während die Anten der Dicke der Säulen entsprechen müssen.

Denique bis habet dum significationem: bis, sed ita ut insit notio finalis. Cum enim in enuntiato secundario sit actio, quae exspectetur vel intendatur, coniunctivus modus post dum positus invenitur:

28, 21: reposito autem gnomone ubi antea fuerat, expectanda est dum decrescat e. q. s.

167, 25 . . . . tunc e marmore grandi directiones sunt subigendae, dum ita materies temperetur uti e. q. s.

Venimus iam in provinciam donec coniunctionis.

Notum est scriptores eius aetatis nonnunquam donec ita adhibuisse, ut habeat significationem: so lange. In exemplis, quae apud Vitruvium inveniuntur octo, ei coniunctioni constanter inest significatio principalis: bis.

De coniunctionis formis haec commemoranda sunt: Primus Lachmannus cognovit Lucretium et Vitruvium nonnumquam prisca illa forma doneque (donique) usos esse[1]). Cuius viri illustrissimi sententiam secutus Valentinus Rose[2]) in editione Vitruvio doneque reddidit quattuor his locis: 79, 9. 129, 22. 222, 6. 284, 16., ubi codices omnes exhibent denique, quod fuit in codice archetypo nunc deperdito, quem qui scripserat, doneque quid sibi vellet plane nescius pro denique acceperat. — Denique adnoto uno loco (222, 6) doneque coniunctionis vim auctam esse addito cum.

Sequitur ut de usu coniunctionis disseramus.

Praesens coniunctivi quinquies occurit. Coniunctivus notionem habet finalem his in exemplis:

79, 9 tunc . . . . spatium minuatur, doneque in eundem tetrantem . . . veniat.

129, 22 . . . ibi congerendum, doneque compleatur structura spatium, quod fuerit inter arcas.

179, 16 . . ad ignem conlocetur, donec lamna candescat.

Quae enuntiata plane respondere apparet dum coniunctionem in fronte gerentibus (28, 21, 167, 25), de quibus supra commemoravi. Sed coniunctivus a donec (que) suspensus latius patet apud Vitruvium: Et praesentis et perfecti coniunctivus positus invenitur, ubi res, quae

[1]) *Cfr. Hand. Tursellin. II*, 209; Lachm. in Lucr. pag. 139, 140, 308.
[2]) *Cfr. V. Rose in Hermae* Berolin. vol. II. (1867) pag. 468.

fieri solent, commemorantur — id quod apud Graecos homines fieri solet per: ἕως ἄν vel: οὐ .... πρὶν ἄν addito praesentis vel aoristi coniunctivo.

Exemplum affero, quod est, ubi Vitruvius explicat de mensurarum rationibus, Graecorum praecepta secutus:

67, 1 quae (sc. μονάδες) simul autem undecim aut duodecim sunt factae, quod superaverint, non possunt esse perfectae, donec ad alterum decussim perveniant. Similiter: 272, 16.

Perfecti coniunctivus legitur:

242, 5 tradita aestimatione magistratui bona eius obligantur, donec opus sit perfectum.

222, 3 ei autem qui supra solis iter circinationes peragunt, maxime cum in trigono fuerint quod is inierit, tum non progrediuntur sed regressus facientes morantur, doneque cum idem sol de eo trigono in aliud signum transitionem fecerit.

Commemorandum est, Draegerum (Synt. II. pag. 613 ss.) praesentis coniunctivi ita usurpati exempla non habere nisi e Curtii, Plinii, Taciti libris sumpta, perfecti nulla omnino exhibere.

Quam brevissime adnoto, cum doneque semel (284, 16) perfectum historicum indicativi esse coniunctum.

Priusquam disputationem nostram finiamus, paucis exponere liceat usum coniunctionis quoad, quam apud scriptores Latinos haud ita raro donec coniunctionis munere fungi notum est. Apud Vitruvium quoad nusquam habet notionem temporalem; sed constanter occurrit, ubi scriptor dictis modum quendam statuere vult (soweit).

Prius exempla aliunde sumpta afferre liceat haec:

Cornel. Nep. Alc. 2, 3: in quorum amore quoad licitum est odiosa multa delicate iocoseque fecit.

Cic. Tuscul. IV. 38. cognitis quoad possunt ab hominie cognosci honorum et malorum finibus.

Videmus igitur in eiusmodi exemplis, ubi a quoad verbum aliquod auxiliare suspensum sit, aut addi aut supplendum esse idem verbum, quod sit in enuntiato primario. Item Vitruvius:

148, 26: quoad potui distributiones operum nostratium .... explicui.

Ceteris omnibus locis potui verbo auxiliari alterum verbum subiunctum est, unde discimus, quam ob causam explicatio imperfecta sit nec absoluta.

Cfr. 99, 6: quoad potui attingere, exposui.
102, 15: .. quoad potui significare scriptis, exposui.
138, 19: .. quoad potui animadvertere, exposui.
146, 12: .. quoad potui summatim perscribere, proposui.

Si igitur quaeritur, quid enuntiatorum temporalium formis examinatis profecerimus in cognoscendo Vitruvii sermone, demonstrasse mihi videor, permulta quidem esse, quibus ille a ceterorum scriptorum usu loquendi discesserit, sed tamen, unde ea fluxerint facillime intelligi posse, cum deliberaverimus, omnia quae aut inaequabiliter et negligenter dicta aut e sermone vulgari sumpta aut Graecorum consuetudini accommodata inveniantur, apte convenire ad sermonem, quo Vitruvius usus sit »non uti summus philosophus nec rhetor disertus nec grammaticus summis rationibus artis exercitatus, sed ut architectus litteris imbutus«.

THESES.

I. Ea, quae codice Erfurtensi — nunc Berolinensi — e libro quarto accusationis in Verrem excerpta continentur, et G^3 (Guelferbytanos et Leidensem) ex eodem fonte fluxisse (cf. Meusel. Progr. d. Friedr. G. Berlin 1876), argumentis demonstrari non potest.

II. Ex ipso codice Regio Erfurtensis excerpta profecta esse e mendorum natura elucet.

III. Plusquamperfectum coniunctivi a scriptoribus labentis Latinitatis saepe positum pro imperfecto (cf. Roensch. Itala u. Vulgata p. 431) iam in Vitruvii libris deprehendi, ex his locis intelligitur:

245, 3. 14. 18. 282, 12 (ed. Rose et Mueller-Struebing).

IV. In lingua Hispaniensi praesentis coniunctivus poni solet in enuntiato temporali, cum in primario est futurum primum (cf. Diez. Gramm. d. rom. Spr. p. 1017). Praesentis coniunctivus eodem modo positus iam apud Vitruvium aliosque scriptores Latinos aetate inferiores invenitur, qui coniunctivus ad Graecorum consuetudinem (ὅταν) referendus est.

V. Vitruv. de archit. 222, 6 cum coniunctio delenda est.

VITA.

Natus sum Maximilianus Stock Berolini die mens. Jun. XXVI. a. 1862 patre Hermanno ludi magistro matre Luisa e gente Hauschild. Fidei addictus sum evangelicae. Anno aetatis undecimo adii gymnasium regium Joachimicum, tum a patre tertiae classi gymnasii Berolinensis Leucophaei traditus sum. Autumno anni 82 cum maturitatis testimonio dimissus inter cives academiae Berolinensis adscriptus sum, ut ad philologiae studium incumberem. Per quadriennium huius almae litterarum sedis scholis interfui.

Docuerunt me viri doctissimi: Bresslau, Curtius, Deussen, Diels, Dilthey, Huebner, Kirchhoff, Mommsen, Paulsen, Robert, de Treitschke, Vahlen, Weizsaecker, Zeller. Praeterea Huebner ad exercitationes philologicas, Hirschfeld et Klebs ad historicas aditum mihi concesserunt. Denique seminarii regii philologici per bis sex menses sodalis fui ordinarius. His omnibus viris multum me debere memori mente profiteor; singularem vero gratiam habeo Guernero de Siemens, viro clarissimo, a quo, filio ut tutor essem, evocatus tot tantisque beneficiis affectus sum, ut pietati verba non suppetant.